

executoribus, testamentariis et fideicommissariis ordinandi disponendi et exequendi commisit et supplicavit, prout et quantum in nobis est, disponimus — per praesentes. In quorum omnium testimonium evidens et fidem indubiam — praesentem litteram nostrorum sigillorum fecimus appensione communiri sub anno domini millesimo quadringentesimo quinto mensis Marcii die sexto.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit den Siegeln der beiden Pröbste an Pergamentstreifen; die der Vicarien fehlen.

No. 779. 1405. 12. Apr.

*B. Thimo bestätigt die vom Markgrafen Wilhelm geschehene Errichtung eines Altars über dem Grabe seiner Gemahlin Elisabeth, sowie die hinsichtlich des kirchl. Dienstes bei demselben und sonst von dem Stifter getroffenen Anordnungen. Vgl. No. 756.*

In nom. s. et ind. trin. amen. Cum pastoralis curae intersit etc. Nos igitur Thimo dei et apost. sedis gratia episcopus Misnensis recognoscimus — quia magnificus princeps dominus Wilhelmus marchio Misnensis, Thuringiae lantgravius et comes Saxoniae palatinus devotionis fervore succensus, pro ampliacione cultus deifici ob remedium salutare progenitorum suorum, nec non illustris quondam Elizabeth marchionissae suae consortis bonae memoriae ac suorum heredum et successorum, ad honorem sanctae et individuae trinitatis, corporis Christi suaeque intemeratae genitricis et virginis Mariae, ac beatae Mariae Magdalенаe, altare novum in ecclesia nostra Misnensi in medio chori erexit — congruisque redditibus ad instaurandum in dicto altari missam perpetuam, videlicet quadraginta duas sexagenas grossorum Misnensium in redditibus opidi sui Dresden dictis proprie iarrente, quos hucusque de theatro ibidem habuit, liberaliter dotavit, conditione et adiectione infra scripta, videlicet quod deinceps dictum altare per duos altaristas gubernari debeat, qui huiusmodi quadraginta duas sexagenas reddituum singulis annis — percipere debeant et habere, de qua quidem pecunia iidem altaristae scholaribus cum eis vigiliis et missas pro defunctis ac alias missas iuxta modum inferius insertum cantare debeant, singulis annis decem sexagenas dabunt et in anniversariis progenitorum dicti domini marchionis et Elizabeth olim conthoralis suae, et post eius obitum sui ipsius et suorum heredum et successorum, qui singulis annis in nostra Misnensi ecclesia peragi debeant, in provigilia visitationis Mariae et in crastino Elizabeth canonicis in vigiliis et missa praesentibus unam sexagenam, vicariis in vigiliis et missa praesentibus quadraginta grossos, custodi quatuor grossos pro luminaribus, campanatoribus alterum dimidium grossum et choralibus quatuor grossos pro quolibet termino ministrabunt, residuamque pecuniam — inter se aequaliter dividere et suis usibus reservare. Et praeterea dictus dominus marchio — ordinavit, quod dictorum altaristarum unus una septimana et alius alia septimana singulis diebus in choro ecclesiae nostrae Misnensis statim incepto pulsu campanae, quae longa vocatur, ante horam vesperorum cum sex scholaribus vigiliis incipere debeat et cantare et omnibus secundis tertiis quartis et sextis feriis missam pro defunctis ad dictum novum altare celebrabit, exceptis magnis festivitibus,